



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Quibus in euentibus non liceat coniugi ob adulterium commissum
celebrare diortium. §. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Cod. de repudiis. Authent. de nuptiis §. mitiores collat. 4. Et licet aliquando causa vigente ingenui soleant hac affici punitione, id contingit cum in minori aetate sunt constituti. Quapropter (nisi causa gravissima vigeret) peccatum mortale existimarem eam punitionem, etiam si in suo genere levis, & moderata sit, quia ex se vxorem maxime dedecet, & in plurimum sententia sufficientem praebet diuortij causam. Atque ita sustinent Sorus, lib. 5. de iustit. quest. 2. art. 2. in fine corp. Arag. 2. 2. quest. 65. art. 2. vers. de marito. Sanch. lib. 10. difficult. 18. num. 16. plures referens Molin. tractat. 3. disputat. 2. in fine numero 20. Rora apud Farinac. decis. 371. Basil. Ponce, lib. 9. cap. ult. num. 5.

- 4 Duo vero in hac punitione seruanda sunt; primum, ne puniitio delictum excedat, sed illi commensuretur; quin potius expedit ut maritus leuius vxorem puniat, quam delictum exigat. Etenim hac ratione pax, mutuaque beneuolentia inter ipsos conseruabitur. Secundum, ne ex odio puniitio fiat, sed ex charitate, zeloque iustitiae ad correptionem, emendationemque vxoris, & in domesticorum exemplum.

PUNCTUM VI.

De dissolutione matrimonij quoad thorum, & habitationem.

1 Hucusque de proprietatibus matrimonij sumus locuti, superest differamus de eius contrariis. Matrimonium namque diximus vinculum esse indissolubile, obligationemque secum trahere reddendi debitum, simulque cohabitandi. Et licet iudeis fuerit permillum matrimonium consummatum dissoluere Deuteronom. 24. & Malachias, 2. At post legem Euangelicam Matth. 5. & 19. nec Iudeis, nec Gentilibus permillum est vinculum matrimonij consummatum dissoluere: solum enim fauore fidei matrimonio infidelium conceditur dissolutio, si alter ad fidem conuertatur, altero in infidelitate remanente. Extra hanc causam vinculum matrimonij consummatum tam fidelium, quam infidelium indissolubile persistit, sola morte coniugis dissoluendum, uti tanquam de fide certum definitum est ab Alexand. III. cap. ex parte de Sponsalibus, & a Concil. Florent. in Armenor. instrum. & a Trident. sess. 24. can. 10. Neque his obstat quod Christus Dominus Matth. 19. dixerit: *Qui cumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit moechatur, & qui dimissam duxerit moechatur*, quasi diceret ex causa fornicationis dimitti vxorem posse, & aliam duci absque moechia; id enim indicat exceptio illa nisi ob fornicationem. Non inquam obstat, quia Christus Dominus solum dixit moechari eum, qui vxorem dimittit extra causam fornicationis. At de dimittente causa fornicationis existente (inquit Caietan. in praesenti) nihil decidit. Praeterea Christus Dominus, voluit eo in loco libellum repudij, quo matrimonij vinculum, & mutua coniugum habitatio dissoluebatur omnino tollere, & solum permittere dissolutionem cohabitationis ex causa fornicationis, ideoque inquit, *Qui vxorem suam dimiserit excepta causa fornicationis moechatur, quia iniuste dimittens facit eam moechari*. Praedictus ergo Textus dissolutionem cohabitationis interdicit nisi ex causa fornicationis, nullo verbo facto de dissolutione vinculi coniugalitatis, sicuti explicat August. lib. 1. de adulter. coniug. cap. 9. Abulens. c. 19. Matth. quest. 76. Maldonat. & Iansen. ibi. Sanch. lib. 10. de matr. disp. 2. num. 3. ubi alios Textus contrarium indicantes explicat. Quocirca questio versatur, quibus ex causis obligatio thori, & coniugalitatis habitacionis dissolui inter coniuges possit; Et nemini est dubium posse dissolui ex mutuo consensu, quia nullo iure inuenitur interdictum, quin potius colligitur concessum ex Paulo 1. Corinth. 7. debet tamen fieri dissolutio non ex odio, & indignatione, sed amore castitatis, & absque incontinentiae periculo, ideoque mature, & longa examinatione facta, & non aliter haec separatio facienda est, ut frequenter omnes Doctores consulunt. Superest ergo examinandum, qualiter ex delicto haec cohabitatio dissoluitur?

§. I.

An ex causa fornicationis dissolutio coniugalitatis habitacionis fieri possit?

- 1 Adulterium causa est sufficiens, ut vir ab vxore in perpetuum diuortetur.
- 2 Nomine adulterij qualibet copula etiam sodomitica intelligitur.
- 3 Debet adulterium formale esse.

1 Adulterium vxoris causam esse sufficientem, ut vir ab vxore diuertere in perpetuum possit, constans est omnium Catholicorum sententia ex illo Matt. 5. & 19. Ego autem

dico vobis, quicumque dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis, &c. Et ex cap. significasti. Cap. gaudemus. C. ex litteris de diuort.

Et licet Christus Dominus, alique Textus Iuris Canonici solum de adulterio vxoris vitio grauiori mentionem fecerint, ideoque Caiet. in illud. Matth. 19. censuerit solum vix concedi ob adulterium vxoris separationem. At verissima sententia defendit in hac causa vtrumque coniugem pariter esse, licetumque esse vxori ob adulterium viri diuortium celebrare. Non enim censetur coniuges obligari ad mutua cohabitationem, & debiti redditionem, nisi quatenus sibi inuicem fidem daram serauerint. Quare cae fide violata ab obligatione reddendi debitum, mutuoque cohabitandi innocens siue vir sit, siue foemina absolutus, sicuti pluribus comprobatur Sanch. lib. 10. disp. 3. num. 6. Farinac. 4. com. quest. 147. num. 9. Guierri. de matrim. cap. 12. g. num. 2. Coninch. disp. 35. dub. 1. initio & num. 6. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 16. a num. 2. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. part. cap. 7. num. 8. Gaspar Hurtado disput. 11. difficult. 2. & colligitur aperte ex illo Pauli 1. Corinth. 7. *Huius qui matrimonio iuncti sunt praecipio, non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere* (subintelligit absque iusta causa.) *Quod si discesserit* (nempe ex iuxta causa) *manere in iuxta am, aut viro suo reconciliari*. Supponit ergo Paulus et aliqua causa iuxta posse vxorem a marito discedere, aliam cogere eam viro suo reconciliari, nullatenusque optionem daret se viro reconciliandi, vel continenter viuendi. Quod si aliquam causam iuxta descendendi a marito vxor habere possit, maxime adulterium, quod fides sibi data violatur.

Nomine adulterij ratione cuius diuortium celebrari ab innocente possit, etsi aliqui censuerint solum copulam naturalem cum alieno viro, vel foemina esse intelligendam, communis sententia defendit teste Abbate in cap. maritus de adulter. num. 3. Sanch. lib. 10. disp. 4. num. 3. Coninch. disp. 35. dub. 1. conclus. 5. Basil. Ponce, cap. 16. num. 5. dicto cap. 7. n. 7. Gaspar Hurtado dicta difficult. 2. Riccio decisi. 273. in praxi, & alii sodomiam, & bestialiam intelligi, quia his criminibus caro coniugis in alienam diuiditur contra matrimonij fidem. Debet autem sodomia, & bestialitas completa esse, id est cum seminis effusione, aliam non perfectam in alienam carnem esse diuisio, neque consummata iniuria, neque sufficiens diuertendi causa. Quod a fortiori procedit in tactibus, pollutione, siue secum tantum, siue cum alio, ut aduertunt omnes praecitati Doctores.

Debet autem adulterium occasione diuortij praebent formale esse; quare si ex aliquo capite ab ea malitia excusatur, eo quod ignoranter, vel per violentiam commissum sit, nullo modo occasione diuortij praebere potest, quia alteri coniugi iniuriosum non est, ut recte ex omnium sententia docet Basil. Ponce, lib. 9. cap. 17. num. 8. Sanch. lib. 10. disp. 5. a n. 11. Argum. cap. cum per bellicam. 3. 4. q. 2. Et leg. vxor 7. Cod. de repudiis. Quinimo Abbas conf. 4. n. 3. volum. 1. Rosella verbo Adulterium. n. 1. Sylu. ibi q. ult. Armilla n. 5. Tabiena, q. 1. n. 3. Gratia 2. p. decisi. lib. 1. cap. 12. n. 72. casu 2. Et inclinat Gregor. Lopez, leg. 7. verbo per forgera. tit. 9. part. 4. Et probabile censet Sanch. lib. 10. disp. 5. num. 15. affirmant adulterium commissum ex metu cadente in virum constantem non concedere innocentios diuertendi, quia non ex malitia, & dolo, quod videtur requisitum iuxta leg. penult. ff. ad leg. Jul. de adulter. commissum est, & fauet August. relatus in cap. proposito. 3. 2. g. 5. excusans Luctetiam ab adulterij crimine non quoad culpam, sed quoad poenam eo quod metu coacta sit. Sed praedictis assentiendum non est, nam cum metus non excuset a culpa adulterij, & fidei datae violatione, quibus diuortium iure naturae innititur, non potest a diuortio, donecque amissione excusare, tamen excuset a poena legibus indicta, ut tradit Couarun. 4. decretal. 1. p. cap. 1. initio. n. 3. Azeuedo lib. 8. recopil. tit. 20. leg. 1. num. 22. Henricq. lib. 11. cap. 17. n. 5. & pluribus relatis Sanch. lib. 10. disp. 5. num. 16. Coninch. disp. 35. dub. 2. num. 10.

§. II.

Quibus in euentibus non liceat coniugi ob adulterium commissum celebrare diuortium?

- 1 Diuortium nequit esse, si vterque nocens sit.
- 2 Ob adulterium, cuius auctor est maritus non potest vxor repudiari.
- 3 Ex eo quod maritus causam remouit am adulterij vxori praestauerit, non impeditur a diuortio celebrando.
- 4 Ob adulterium iam condonatum nequit coniux innocens diuertere.
- 5 Si innocens signa remissionis adulterij praestet absque animo remittendi, probabile est in foro conscientiae ad diuortium conari posse.
- 6 Remissio solum esse potest de delicto praeterito, non futuro.

7 Ex eo quod vnus coniux adulter alterum de emendatione moneat, motus non cedit iuri diuertendi, nisi aliqui contra consentiant.

Primo conueniunt Doctores diuortium esse non posse, si vterque nocens sit, quia iniquum est vnus delictum punire alio delinquenti indemni seruato. Quapropter iura clamant paria delicta quoad priuatum ius mutua compensatione tolli. Capp. penult. & vlt. de adulter. Cap. significasti. cap. ex litteris de diuortio. Cap. 1. seqq. per totam 32. question. 6. Et leg. si vxor ff. Ad leg. Jul. de adulter. Et leg. viro, atque vxore. 29. soluto matrim. & alii. Neque referunt ad adulterium vxoris grauius sit, & publicum, vtrique adulterium secretum, & vnus pius, alterum postorius, quia per quodcuq; fides in matrimonio data violatur, & ius diuertendi solum innocenti conceditur, vti docet ex omnium sententia Sanch. lib. 10. disp. 5. a num. 2. Basili. Ponce, lib. 9. cap. 17. a num. 5. Coninch. disp. 3. dub. 2. num. 12. Gutierrez. de matr. cap. 129. num. 15. Paul. Layman. tract. 10. 3. p. cap. 7. num. 13. Hæc tamen mutua compensatio solum est quoad diuortium, doctique amissionem, nam quoad accusationem criminalem, & vindictam publicam non est compensatio; cum liberum sit marito adultero accusare criminaliter vxorem de adulterio, cum tamen ipsi vxori non permittatur maritum accusare. leg. 1. Coniug. ad leg. Jul. de adulter. sicuti aduertit Sanch. lib. 10. disputat. 8. numero 46. Laymann. lib. 5. tract. 10. 3. p. cap. 7. numero 13.

Secundo nequit maritus repudiare vxorem ob adulterium, cuius ipse author fuit, quia eo casu maritus æque ac vxor culpabilis existit: sicuti docent ex omnium sententia Sanch. lib. 10. disputat. 5. a num. 3. Farinac. 1. 1. quest. 143. §. separatio vxori, Gutierrez. cap. 129. num. 16. Basili. Ponce, lib. 9. cap. 17. num. 7. Coninch. disp. 3. dub. 2. num. 8. Gaspar Hurtado disp. in difficult. 3. num. 12. Laym. tract. 10. 3. p. cap. 7. num. 8. Quod adeo verum est, vt etiam si vxor prostituta consentiat, reaque adalterij sit locus repudij non a detur: vt colligitur expressè ex cap. discretionem §. quod si forsitan. De eo qui cognouit conjugum. & c. ibi presertim iniuriam: dictio enim illa presertim declarat, quod minoris dubitationis est, scilicet cum consentit inuita, & supponitidem esse in casu magis dubio, qualis est cum liberè consentit. Neque enim æquum erat, vt eleganter inquit Iurisconsultus. Scæuola in leg. cum mulier 47. ff. Soluto matrimonio. quod maritus improbatior mores, quos ipse, aut ante corruptus, aut postea probauit, sicuti omnes Doctores nuper relati aduertunt. Quinimo censet, si adulterio tacite consentiat; eo quod potens facilè impedire non impedit nullà legitimà occasione intercedente, nequit illud obicere; quia illo tacito consensu censendus est remittere ius diuertendi, quod ex iniuria illata sibi conceditur, idè quod in leg. 2. Cod. ad leg. Iuliam de adulter. vbi consentiens pena lenioris punitur. Atque ita docent Castro, lib. 2. de lege poen. 2. cap. 4. Henric. lib. 11. cap. 17. num. 4. Sanch. pluribus relatis, lib. 10. disputat. 5. numero 5. vbi opprimè aduertit mulierem conscientiam de marito adulterio, neque impediente non esse censendam consentire, quia raro ipsa impedire potest, neque eius iusti modulatio, vt potè quæ est viro subiecta occasio est delicti approbatio. Notanter dixi nullà legitimà occasione, si enim vir suspicionem habens de vxoris adulterio dissimulet se in longinquum profectici animo statim redeundi, vel teltes absconditos apponat, vt certus de adulterio possit vxorem dimittere, vel in futurum emendare, nullatenus censeri debet adulterio consentire, sed illud permittit ex honestum suam, sicuti pluribus comprobat Sanch. lib. 10. disputat. 12. num. 52.

Ex eo autem quod maritus causam remotam vxori dederit adulterium committendi negando inquam debitum, non suppeditando alimenta, atque eam è domo, & ex sua cohabitatione expellendo, non censetur adulterio consentire, neque à diuortio faciendo impeditur, vti colligitur ex cap. significasti de diuortio. Et ibi Glossa verbo materiam. Neque enim mulier ad fornicandum vlla ratione adduci debebat: cap. ita ne 32. quest. 5. Neque ignoscendum est (vt inquit Vlpian. leg. palam num. 43. ff. de ritu nuptiar. Et Glossa cap. ex litteris de diuortio.) ei qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit. Atque ita fatentur omnes Doctores teste Sanch. lib. 10. disp. 5. num. 6. Gutierrez. cap. 129. num. 8. Basili. Ponce, lib. 9. cap. 17. n. 7. Coninch. disp. 3. dub. 1. in fine. Quod intelligendum inquit Thom. Sanch. Gutierrez. Coninch. & Farin. quest. 143. num. 12. nisi vir eà intentione vxorem repulisset, alimentisve priuasset, vt necessitate compulsus adulterium committeret; quia eo casu adulterium vxoris marito est voluntarium perindeque est, ac si adulterio conuinceret.

Terio ob adulterium iam condonatum, & remissum nequit coniux innocens diuortium facere: ipsa enim condonatione, & remissione cessit iuri diuertendi acquisito, sicuti vniuersi Doctores docent. Dupliciter autem hæc condonatio fieri potest expressè, vel tacite: expressè fit, si verbis expressis remittat iniuriam sibi factam, & ius diuertendi ex ea acquisi-

tum, iuxta leg. si maritus 25. §. si negauerint ff. ad leg. Iul. de adulter. Tacita remissio contingit, si conscius adulterij, & potens petere diuortium coniugi adultero copuletur, vel illum ita familiariter tractet, sicut antea, nam prædictis signis factis præsumitur animum habuisse reconciliationis, idè quæ ad intentandum diuortium, accusandumque adulterum non admittitur, vt tradit decisio Rotæ apud Farinac. 193. volum. 2. consil. Neque ad hanc condonationem requiritur adulteri acceptatio, quia ea condonatio est quædam iuris cessio, & remissio, quâ signis exterioribus manifestata tollitur ab adultero impedimentum exigendi debitum, quod ex adulterio commissio contraxerat, vt rectè probat Sanch. lib. 10. disputat. 14. a numero 2.

Quod si innocens adultero prædicta signa remissionis præster absque animo remittendi ius quod habet accusandi adulterum cum ciuilitate, tum criminaliter, etsi in foro externo nec diuortium, neque accusationem intentare possit; at in foro conscientie probabile est ius diuertendi & accusandi integrum retinere, vti pluribus comprobant Sanch. dicta disp. 14. a num. 21. eo quod illa facta non sint ipso iure remissiones, siquidem facta ex imperio Iudicis, eo quod adulterium non plenè probatum sit, remissionem non inducunt, sed solum sunt signa animi remittentis. Quare eo animo deficiente nulla est censenda remissio. Quod satis indicat Textus in leg. questum 40. §. item queritur ff. ad leg. Iuliam de adulter. dum inquit destitisse videri. Et leg. regia 8. titul. 17. part. 7. [caspus que a si la a cogio en su casa, entendiense que la perdo.] Non enim asserunt de facto remissio, sed præsumi remissionem fecisse.

Illud certum remissionem solum esse posse de delicto præterito, non de futuro, ne delinquenti occasio relabendi concedatur. Quapropter si reconciliatus iterum delictum committat poterit non de delicto remissum, sed ob delictum demud paratum intentari ab innocente accusatio tam ciuilibis quoad diuortium, & dorem, quàm criminalis ad punitionem. Vnde si vterque fuerit nocens, sibi que mutuo iniuriam cesserint, qui post reconciliationem lapsus fuerit diuortio subiectus est, neque innocenti diuortium intentanti obicere potest crimina remissa. cap. de his de accusationib. Et cap. si illic. 23. quest. 4. iuncta Gloss. verbo recidius. Et leg. transigere, Cod. de transactionib. Neque remittentibus actiones conceditur regressus. Leg. queritur vers. si venditor ff. de Adilitio edito. Et tradit ex communi sententia Sanch. lib. 10. disp. 5. num. 21. Et disp. 6. num. 7. Basili. Ponce, lib. 9. cap. 17. in fine. Coninch. disp. 3. dub. 2. concl. 5. num. 17. Molin. tract. 3. disp. 95. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. p. cap. 7. num. 14.

An vero eo quod vnus coniux adulter, & emendatus alterum de emendatione moneat, censetur vterque sibi reconciliari? Non conueniunt Doctores Sanch. plures referens lib. 10. disp. 7. num. 4. Paul Laym. lib. 5. sum. tract. 10. 3. p. cap. 7. num. 14. Coninch. disp. 3. dub. 2. num. 1. concl. 6. censent reconciliationem factam esse non solum ex parte illius qui monet, & reconciliationem offert, de quo non videtur esse dubium, sed etiam ex parte moniti, qui esto reconciliationem non admittat, admittit illam tenetur, cum sit æquè nocens, ac petens reconciliationem. Sed rectius Basili. Ponce, lib. 10. cap. 17. in fine. Gaspar Hurtado disputat. 11. difficult. 3. n. 10. censent admonitum ex sola admonitione sibi facta, & reconciliatione oblata, sed non acceptata non cessisse iuri diuertendi, quod ex alterius adulterio acquisierat; quia esto æquè nocens sit, ac petens reconciliationem, id solum probat non posse alterum accusare delicto sibi non remisso, non tamen probat cessisse iuri diuertendi. At delicto remisso si post remissionem non delinquerit diuortium intentare poterit, quia nihil impedit: si vero iterum in delictum labatur, amittit ius diuertendi petendi, emendatus vero intentare diuortium non potest, eo quod sibi non fuerit delictum remissum.

§. III.

An vxorem in adulterio persistentem teneatur innocens dimittere?

- 1 Plures affirmant obligatum esse recedere.
2 Verius est oppositum.
3 Aliquando per accidens hæc obligatio esse potest.
4 Raro, vel nunquam obligata est vxor diuertere à marito adultero.

Udimus innocentem neque iniuriam remittentem diuertere à coniuge nocente posse, inquitimus. an teneatur? Plures Doctores, quorum meminit Sanchez lib. 10. disp. 13. a numero 4. censent obligatum esse diuertere à coniuge adultera; eo quod apud se retinens, & debitum exigens, & reddens censetur ius delicto conuicere, graueque hæredibus legitimis detrimentum inferre, si illegitimi, & spurij supponantur. Et fortè ob hanc causam Proverb. 18. dicitur: Qui autem tenet adulterum stultus est, & insipiens, siquidem